



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Tractatus De Censuris Romano Pontifici Reservatis**

**Ugolinus, Bartholomaeus**

**Venetijs, 1609**

Vers. Vulnerantes.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61365](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61365)

In excommunicationem hanc igitur incidunt, qui prædictos peregrinos, Romipetasve mutilant, id est membrum aliquod ipsi abscindunt, quæ regula eisdem modis, quibus superior declaratur, amplificatur, & coarctatur, sicut etiam illa, quæ posita est in eodem cap. 9. versicu. Mutilant. Quare, quæ huc pertinent, illinc sumamus.

### Verf. Vulnerantes.

- S V M M A.*
- 1 *Vulnerantes Romipetas in excommunicationem incidunt.*
  - 2 *Verberantes Romipetas an in excommunicationem incidant.*

**H**ic tertia causa exprimitur, quamobrem offendentes Romipetas in excommunicationem hanc incidunt, scilicet, ubi eos vulnerant. Quare & de hoc regulam ponamus.

- In excommunicationem hanc igitur incidunt etiam, qui prædictos Romipetas vulnerant, ut habetur in proposito versicul. Quæ regula, ut superiores declaratur, amplificatur, atque coarctatur.
- 2 *At quid si quis tantum prædictos verberet, an in excommunicationem hanc incidet? Ego censeo hunc non incidere. Primo,*

quia verberare est cum dolore cedere, ut habetur in lex Cornelia. S. inter pulsationem. ff. de iniur. quod idem est atque verberibus, cedere, iuxta illud Terent. in Andr. verberibus, casum te in pristinum Dædæ dedam, at vulnerare est ferire, ex quo igitur diversa sunt, & de vulnerante, non autem de verberante, pulsanteve Bulla loquitur, excommunicationis vulnerantem, non verberantem afficiet, ex diversis enim non fit illatio. argum. l. Papinianus exuli. ff. de min. præsertim in pœnis, argum. capitulum in pœnis, iunct. ibi Gloss. de regul. iur. lib. 6. & l. interpretatione. ff. de pœn. Accedit, quod ubi Bulla & percutientes comprehendere voluit, id expressit, ut in sequenti capite uidebimus, ibi, Percutientes, ex quo igitur hic non dixit, nec id voluisse existimandum est, sed iam ad alia veniamus.

### Verf. Detinentes.

- S V M M A.*
- 1 *Detinentes Romipetas, seu peregrinos in excommunicationem incidunt.*

**H**ic quarta causa exprimitur, quamobrem offendentes Romipetas excommunicantur, scilicet qui ipsos detinent. Detinere autem